



1. Drejeri / Chr. / Diff. de Conver-
sione Iudaeorum, Regiomonti
1691.
2. Eckstein / Gottlieb / Summi Dei
Magnatissimum, ex Genes. III.
v. 22. contra Iudaeos, Wittenbergae
1685.
3. Edzardi / Sebast. / Diff. ex Philo-
logia Hebraica, Wittenbergae
1695.

DISPVATIO THEOLOGICA
 QVA INSTITUITUR
 COLLATIO
 DE
OECONOMIA
EVANGELICA N. T.

CVM
HENRICO HAMMONDO
 ANGLO
 ET

JOHANNE CLERICO

BATAVO,

ALISQVE PRÆCIPUIS, PARTIS
 REMONSTRANTIVM, SEV ARMINIA-
 NORVM VIRIS,

AD ROM. I. vers. 17.

QVAM

TVEBITVR!

Sub PRÆSIDIO

MICHAELIS FOERTSCHII,

THEOL. D. ET P. P. PRIMARIJ, AC FACULTATIS
 SENIORIS

D. MAII M D CC XVIII.

M. IOSEPHVS CAMERARIVS,


MINISTERII CANDIDATVS, REUTLINGENSIS.

JENÆ,

LITTERIS MULLERIANIS.

DISPUTATIO THEOLOGICA
 QUAE INSTITUITUR
 COLLEGIUM
 DE
 OECONOMIA
 EVANGELICA N. T.
 CVM
 HENRICO HAMMONDO
 ANGLICO
 ET
 JOHANNI CLERICO
 BATAVO
 ALLISQVE RECIPIENS, PARTIS
 REMONSTRANTIVM, SEV
 NORVM VIRIS
 AD ROM. I. cap. 17.
 QUAE
 TVEBITUR
 SUB PRESDIO
 MICHAELIS FORTSCHNII
 THEOL. D. ET P. PRIMARI, AC FACULTATIS
 SENIORIS
 M. JOSEPHVS CAMERARIVS
 D. M. D. CC. XVII.
 MINISTERI CANDIDATVS, REUTLINGENSIS
 LITTERIS MULLERIANIS





COLLATIO
DE OECONOMIA EVANGELICA NOVI
TESTAMENTI, CVM HENRICO HAM-
MONDO ET JOHANNE CLERICO, A-
LIISQVE PARTIVM REMONSTRAN-
TIVM SIVE ARMINIANARVM
VIRIS.

AD ROM. I. v. 17.

S. I.



*V*ox οἰκονομίας jam Veteribus Patribus
Græcis usitatum fuit, quanquam diverso
profus sensu. Receptior obtinuit ille, quo
οἰκονομίαν vocarunt, quicquid Christus
in terris gessit, ad procurandam salutem
generis humani, inde porro discrimen
promanavit inter primam œconomiam,
qua designabant filii DEI incarnatio-
nem, & inter secundam, sive illam quæ
secuta est primam, qua Christi passionem
& quæ eo pertinent, significarunt, vid. *Ensebius*
Lib.

Lib. I. Hist. Eccles. cap. I. (a) quippe totam Christi inter mortales vitam vox *οικονομίας* juxta Patres complectitur, notante *Valesio* ad *Eusebium* l. c. ubi *Irenaei*, *Origenis*, *Justini*, *Clementis Alexandrini* *Chrysostrami*, aliorumque loca collegit. Neque invita Scriptura istum loquendi modum de Christo adhibuerunt, nam & Ecclesia *Domus DEI* (b) vocatur a Spiritu S. & Christus tanquam filius super domum illam constitutus dicitur (c).

§. II.

Ejusdem vocis usus de tribus personis divinis earumque providentia.

Non substitit usus vocis iutra personam secundam divinitatis sive Christum, sed extensus est ad reliquas, ita, ut toti SS. Trinitati, singulisque in illa personis œconomia adferberetur: id vero haud contra vocis naturam, cum enim apud *Græcos*, in univrsū denotet *dispositionem*, *gubernationem*, & *dispensationem*, non immerito ad opera quoque Patris & Spiritus S. applicata est, ut adeo Theologi haud absurde de Trina œconomia Patris Filii & Spiritus S. tractare consueverint. Speciatim vero providentiam DEI œconomiam nuncuparunt, ac deinceps ad Ecclesie gubernationem vocem accommodarunt. Sic *Clemens Alexandrinus* Lib. I. Strom. πάντα μὲν οἰκονομεῖται ἀνωθεν εἰς καλὸν, ἵνα γνωρισθῆ διὰ τῆς ἐκκλησίας ἡ πολυποίκιλος σοφία τῶ Θεῷ.

§. III.

Applicatio vocis, œconomia ad fœdus gratie seu Evangelicum, ubi cautela de non confundendo fœdere operum & Evangelico, quorum illud desit.

Inde ad Rem fœderalem vox applicata est, designandam nimirum diversam fœderis gratie œconomiam, in ordine, tum ad tempora ante Christum in carne exhibitum, inde a lapsu & prima gratie promissione usque ad Christum, tum ad plenitudinem temporis, quo Messias in mundum venit (d) ubi vero observandum, non confundendum esse fœdus operum seu legale, & fœdus gratie sive Evangelium. Nam fœdus operum sive legale temporibus ante Messie adventum valuit, & quidem in statu integritatis, si

(a) pag. 3. edit. *Vales.* (b) 1. Tim. III. v. 15. (c) Ebr. III, 6. (d) Gal. IV, 4.

ve ante lapsum humani generis, ubi illa Regula eeu *fundamenta-*
lis vigeat! *fac hoc & viues.* Luc. X, 28. vel, ut apud Matthe-
 um cap. XIX, 17. extat: *si vis intrare in vitam, serua mandata.*
 Hac via salutis illo tantum tempore obtinuit, nam post lapsum
 nec potuit nec debuit foedus operum iustificare & salvare: non
 potuit, quia homo amissa iustitia originali, & subingressa concu-
 piscencia peruersa nullas amplius vires habuit, seruandi legem, &
 a concupiscencia illa in transversum actus est. vid. Rom. V, 3.
 Cap. VII tot. Gal. III, 11. Gen. VI, 5. cap. VIII, 21. nec debuit, quia
 decreto semel foedere gratiae sive Evangelico, & suo modo pro-
 mulgato; deinceps non amplius secundum prius illud foedus ope-
 rum salvare poterat DEVS, nisi sibimet ipsi voluerit adversari,
 quod sine blasphemia dici non potest, hac enim directe sibi oppo-
 nuntur, iuxta scripturas, ex operibus iustitiam nancisci & Salu-
 tem, & ex gratia per fidem in Christum. Cum itaque per *πρωτευ-*
εργγελου Gen. III, 15. illud foedus Exangelicum jam suo modo
 manifestatum fuerit! prius illud legale, quippe iam ante a Pro-
 toplastis ruptum Ose. VI, 7. etiam ex parte DEI sublatum novum-
 que ita substitutum intelligitur.

§. IV.

Materia tamen foederis operum in lege Morali naturali
 mansit, quippe quae immutabili DEI Iustitia & conditione natu-
 rali hominum fundata a deo, ne homo ab illius obligatione solvi
 non possit. Adjuncta tamen sunt a DEO variae leges, rituales &
 Ecclesiasticae, item forenses & ad Reipublicam Judaicam ordinem
 statumque pertinentes, quae cunctae neque foederi legali illi pri-
 maeuo accenseri possunt ut antea dictum! neque foederi gratiae
 seu Evangelico, utpote quod promissiones continet de gratia DEI
 per Christum, eaque obtinenda. Supposito tamen foedere gratiae,
 omnes illae leges & ritus a DEO ordinati sunt ad infervien-
 dum huic foederi gratiae tum ut propellerent propter peccata ad
 hoc foedus quaerendum & apprehendendum, tum ut in Regulam
 ac normam, secundum quam foederati DEI ambularent, valerent.
 Sed leges forenses illae cum excidio Politiae Judaicae desierunt, &

Materiam foederis operum post lapsum suo modo mansisse, leges nimirum Morales naturales, quibus aliae accesserunt foederi gratiae tamen subservientes cum illis.

destructo subiecto, cui destinatae erant, non amplius locum ha-
 buere. Neque vero Ecclesiasticae illae rituales & Ceremoniales,
 veluti ordinationes sacrificiorum &c. ulterius quam ad Christi
 adventum usque durare debuerunt, quanquam respectum typi-
 cum seu Evangelicum ad Christum ejusque populum seu Eccle-
 siam retinuerint, qui etiam in illis adhuc dum considerandus ve-
 nit, licet lex Ceremonialis neminem amplius obliget.

§. V.

*Duplex re-
 spectus in le-
 gibus divinis,
 legalis & pe-
 dagogicus i-
 tem de lege
 ut pertinet
 ad fœdus Mo-
 saicum.*

Ex his patet; duplicem respectum inesse legibus divinis
 post lapsum, unum *legalem*, prout illae sunt Regula & norma agen-
 dorum, exquisitam & perfectam obedientiam requirens, cum
 comminatione maledictionis, nisi quis paruerit. Alter est *ac-*
cessorius legi, pedagogico-Evangelicus, ex supposito fœdere gra-
 tiae. Prior est legis per se & pertinet ad ejus substantiam, alter o-
 ritur ex Evangelio, quod legem sibi quasi subjicit & subordinat
 ad finem congruum justitiam & salutem hominum. Ratione
 prioris respectus etsi Lex post lapsum adhuc materia fœderis o-
 perum suo modo sit; tamen fœderi operum non accenseri pot-
 est, utpote cum obligatio legis ita considerata, id est prout ad
 fœdus operum pertinet, ultimato tendat in obligationem ad per-
 fectam obligationem indeque fluentem justificationem, vel in
 immutabilem maledictionem; supposito vero promissione de
 gratia DEI in Christo sive fœderis Evangelici explicatione, illa ra-
 tio justificationis per legem non amplius locum habet, quippe
 Christus tum finis legis factus intelligitur ad Justificationem o-
 mni credenti Rom. X, 4. & rigida illa sanctio adeo maledictionis
 & damnationis quasi emollita est. Sic accepta lex passim di-
 citur in scriptura *⚭⚭⚭* fœdus, prout nempe est *dispositio*
quadam DEI hominibus solennius & sub certis ritibus promulgata,
sicut in Decalogo aliisque praeceptis a Mose populo Judaico pro-
positis factum est Exod. XIX, XX. quae dispositio etiam cum re-
promissione populi conjuncta fuit vid. Exod. XIX, 5. &
XXIV, 7.

§. VI.

Hoc fœdus duce scriptura vocatur *antiquum* ex Hebr. *De fœdere*
 IIX, 8. 13. Jer. XXXI, 3. cui opponitur *novum* in Christo & per *novo* & *ejus*
 Christum in sanguine ipsius erectum, cujus virtute gratia & *misc-*
diversa *aco-*
 ricordia DEI ac remissio peccatorum obtinetur per fidem in *nomia Ham-*
 Christum sicut Paulus ex professo docet in Epistola hac ad *Rom. mundi ex-*
 & *Galat.* Ex hoc fœdere demum oritur ille respectus in lege *pressiones ac*
pedagogicus tam sub *V. T.* quam sub *Novo*, quia fœdus novum in *sententia*
 sanguine Christi initum retro etiam suum valorem & efficaciam
 habet inde a Prot Evangelio, ut alibi ex professo demonstratur.
 Ex hoc fœdere etiam oritur illa *diversa* *œconomia* sive dispensa-
 tio sub *V. T.* & *Novo* de qua antea. Hinc inscriptio dissertatio-
 nis est, de *œconomia Evangelica Novi Testamenti*, quia alias Evan-
 gelium etiam ad tempora Veteris Testamenti se extendit. Hanc
 describit *Henricus Hammondus*. h. l. quod sit ea *quam docet fides*
vel Evangelium, & que opponitur Ministerio mortis id est promul-
gationi legis, que nihil nisi mortem afferat omnibus, qui prudentes
peccant. item, in qua DEI Misericordia & peccatorum ob Chri-
stum remissione, qui ad eum veniunt, & in posterum non fucantur
prestant obedientiam admittuntur & justificantur a DEO.

§. VII.

Remanda primum viri & *Commendatoris* *ejus Clerici* *Indagatur*
 Aententia est, nam cum tempora nostra novitatis cupidissima sint, *Hammondi*
 & avide subinde arripiantur opiniones exterorum, queis tamen re- *& Clerici*
 gula fidei vel turbatur vel obscuratur, caute versandum est in *sententia.*
 punctis, præsertim gravioribus, ut aurum a scoriis, genuina veri- *De œconomia*
 tas ab eo, quod falsum est, separetur. Viam modumque perve- *evangelica*
 niat ad justitiam coram DEO valentem & salutem æternam *generatim.*
 vocat *Evangelicam* *œconomiam*, item *œconomiam per Christum*,
 non tamen eo plane sensu, quo nostrates id est Lutherani, qui
 hanc *œconomiam* *Evangelicam* extendunt ad tempora. *V. T.*
 ita ut jam tum, Christum & gratiam DEI per ipsum prædicatam
 afferant & creditam, nec Apostoli tantum, de quibus h. l. *Ham-*
mondus,

mondus; Ministri sunt Oeconomiae qua homines per Christum justificantur: sed Prophetae etiam uti Petrus testatur Act. X, 43. *Christo omnes Prophetae testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accipiat per nomen eius quisquis crediderit in eum.* Quam enim non tam clare sub V. T. fides in Christum fuerit revelata sicut in Novo; non tamen eius revelatio ita perspicua, ut sine fide concipi poterit a fidelibus, neganda est. Hinc Christus Luc. XXIV, 25. 26. exprobravit discipulis suis quod essent *amentes & tardi corde ad credendum omnibus, quae locuti fuerant Prophetae de passione & morte sua introituque in gloriam.* Licet vero illa oeconomia sub V. T. Christum praedicabat tanquam futurum demum ac venturum, non tamen propterea non est Oeconomia Evangelica quoad *substantiam*, sed Modus tantum accessorius ratione revelationis circa eandem salutem & Media salutis diversus est.

S. IIX.

*Indicantur
eorundem
aberrantes
sententiae seu
Remonstran-
ticae.*

Sed nec in ceteris quae maxime huc spectant ita interpretantur *Oeconomiam Evangelicam Hammondus & Clericus*, ut immunis sit eorum sententia a periculo salutis. Nam nec de ipso fundamento foederis Evangelici ejusque Oeconomiae redemptione nempe per Christum rite se explicant, nec consequenter medium acceptandae justitiae & salutis ex nostra parte, juxta proprium in hoc negotio respectum declarant, unde nec de operibus, a justificatione excludendis justum formant conceptum, nec justitiam coram DEO valentem ita interpretantur, ut assentiri queamus, nimirum tenent sententiam Arminiano-Remonstranticam de qua satis constat quam prope accedat *Socinianis* & colludat cum *Pontificiis*, quod equidem in dubium vocare queat ratione *Hammondi Angli*, sed res ipsa docet, sive doctrina viri verum esse, quod *Clericus* in laudem ejus scribit (e) nulli plus debere *Hammondum*

(e) *in dedicatione operis ejus in Novum Testamentum, Societati Remonstrantium Belgicae facta, sub. init.*

mondum quam duobus summis Viris, quibus merito gloriatur so-
 cietas Remonstrantium in foederato Belgio, a nemine certe plura
 mutuatum esse in interpretatione Novi Test. universisque adeo
 Theologicis scriptis quam ab Hugone Grotio & Simone Episcopo;
 post pauca; ut hominem veritatis amantem & Theologum preser-
 tim decebat, quos domi non habebat Duces, eos ex Hollandia & So-
 cietate vestra (Remonstrantium scil.) merito desumpsit. Subjicit
 porro; se ratum esse, hanc Hammondii Annotationum in N. T.
 personam ipsius, Remonstrantibus nempe viris esse consecrandam,
 cum apud eos scaturierint olim limpidissimi fontes ex quibus hi ri-
 vali potissimum sint derivati. Laudat deinceps partes suas &
 Hammondum quod illis accesserit, quippe adeo ea Dogmata elegerit,
 non quae Regum, Principum aut Rerum publicarum auctoritate
 defendantur, sed quae sola veritas commendet. &c. tandem audacter
 scribit; certe ut dicam quod sentio, frustra per totum orbem
 Christianum quaesivisset, scil. Hammondus quos tutius sequeretur.
 Addit tamen, quod disciplinam Ecclesiasticam concernat & alia
 nonnulla, in quibus forte Henricus dissentiat a Remonstrantibus,
 non esse magni momenti ubi ipsi dissentientem facile toleraturi
 sint.

§. IX.

Equidem superfluum videri poterat, Hammondii & Clerici Instituti nostri
 hypotheses ac interpretationes ad Elenchum revocare, quae
 jam in Grotio aliisque suo tempore sint castigatae a protestanti-
 bus. Enim vero nec prorsus eadem sunt Grotiana Exegetica, nec
 iidem argumentis utuntur Viri illi docti sed exasciant quaedam,
 alia suppleant, in aliis prorsus dissentiunt in Exegesi; licet idem
 sentiant in thesi & doctrina. Sed nec, si alia jam hinc inde cen-
 sura prodierint nihil addi poterit. Praeterea restringimus insti-
 tutum nostrum ad Epistolam ad Rom. ejusque locum principalem,
 qui nempe totum Epistolae Argumentum exprimit cujus
 proinde scrutinium studiosae juventuti eximie conducit, sic enim
 nervum & Oeconomiam totius Epistolae facile comprehendent,

& simul subtilia divergia, quæ obscurant Evangelii Doctrinam discunt, & tanto firmitus fundamento orthodoxo inharere poterunt.

§. X.

Textus &
Contenta.

Ubi

Argumen-
tum Epistola
utrum sit A-
pologeticum.
Hammondi
sententia; &
de occasione
scribendi.

Sic autem Paulus de Oeconomia Evangelica cap. I. ad Rom. 17. scribit: διαισούνη γὰρ Θεῶν ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐν πίστεως εἰς πίσιν. Lutherus in vernacula; *Entemahl darinnen geoffenbahret würd (in dem Evangelio die Gerechtigkeit die vor Gott gilt, welche kommet aus Glauben in Glauben / wie denn geschrieben steht; der Gerechte wird seines Glaubens leben.* Præcipuum argumentum hujus Epistolæ indicari his verbis, Justitiam nempe veram & coram DEO valentem & salutem sive vitam æternam sola fide, exclusis operibus obtineri, quod etiam ipsa analysis Epistolæ facile indicat; deinceps patebit. Sed num Paulus primario & principaliter ex instituto apologetico adversus Judæos hanc Epistolam scripserit, non ita simpliciter admitti potest. *Hammondus (f)* quidem postquam de vocabulo διαισούνη quædam annotasset, de quibus deinceps ageretur, subjicit: *hac occasione, quid potissimum Paulum ad scribendum impulerit observandum est, nempe accusatio, quæ a Judæis illi intendebatur, eo quod prædicasset Evangelium gentilibus, isque omnium præteritorum peccatorum a DEO veniam promississet, si modo Evangelium amplecterentur, & vitam ex ejus præceptis instituerent, absque ulla observatione rituum Mosaicorum, ut circumcisio- nis &c.* Huic Doctrina acerrime adversabantur Judæi, quasi hoc demum fuisset a lege descere & ponere novam Justitiam, nova præcepta, novam legem, eversa Mosaica. Paulus vero factum suum defendit hoc in loco, quippe quod esset consentaneum Voluntati divinæ in Evangelio revelata, docetque quam diversa hæc sit Justitia ab illa, quæ primum a Judæis in lege exigebatur.

§. XI.

(f) ad cap. 1, 17. ad Rom.

Ad istam Viri Conjecturam unde deinceps suas deducit
 opiniones de Oeconomia Evangelica & Justitia fidei, notamus
 (1) Apostolum non expresse indicare occasionem conscriptæ
 hujus Epistolæ, sed prudenti ratione id conjiciendum esse ex con-
 tentis Epistolæ & ex Historia illorum temporum. (2) ex ipsa
 Epistola plus non licet eruere, de eo quod Apostolum impulerit
 ad scribendum, quam: vi muneris sui Apostolici concepisse desi-
 derium videndi Romanam Ecclesiam jam celebrem eosque in
 fide confirmandi, cap. I, II, non enim pudere ipsum Evangelii.
 Interim informat eos per Epistolam hanc in principali & funda-
 mentali doctrina de *Justificatione per fidem*, & sic Institutum Pau-
 li didacticum est, ubi tamen suo loco Judæorum objectionibus oc-
 currit, & deinceps hanc suam doctrinam quæque inde fluunt, in
 hypothese & ordine ad Judæos & Gentiles tractat, vid. Cap. IX,
 X, XI. queis tum Judæorum præjudicia & præsentas prærogati-
 vas, atque causas rejectionis & contumaciæ ipsorum indicat, ex
 altera parte: gentiles per fidem justitiæ coram DEO valentis &
 salutis participes factos esse. Si conferatur historia illorum tem-
 porum, ex actis Apostolorum deprehendimus, quod sub Ecclesiæ
 nascentis primordia fuerint, qui, Evangelii gratiam & vocatio-
 nem ad salutem genti duntaxat Judaicæ promissam, nec ad genti-
 les profanos propagandam esse, asseruerint, unde cum Petro A-
 postolo expostularunt Hierosolymis illi qui ex circumcisione
 conversi erant, quod ad gentes intraverit cum Evangelio Act. XI,
 I, seqq. Ubi peculiari DEI revelatione quam habuerit Petrus, se
 defendit. Alii tum temporis putabant, esse quidem Gentes in
 consortium Evangelii admittendas, non tamen aliter quam ut
 prius circumcidantur & legi Mosaicæ se subiciant, vid. Act. XV,
 I, seqq. porro ex Epist. ad Gal. Cap. III, facile colligitur Pseudapo-
 stolos apud coetum illum jam conversum & credentem sparsisse
 noxium errorem, Justitiam & salutem ex fide & operibus legis
 acquiri, quos quidem Paulus magno *ibi* zelo refutat: in hac vero
 Epistola ad Rom. ex professo & instituto dogmatico, sola fide

*Annotatio-
 nes ad Ham-
 mundum de
 occasione
 scribendi.*

(2)

(b)

(c)

non operibus hominem justificari, neque excludit tantum ritus Mosaicos, sed præcepta legis in universum, neque in Elencho ritualia tractat, sed maxime legem in universum cum suis præceptis ex qua Judæi quasiverint Justitiam, nec invenerint, vid. Rom. II, 17. seqq. v. 25. seqq. Cap. III. I, 8. II, 29. Cap IX, 4. seqq. Cap. X. XI.

§. XII.

Mitarum Remonstranti-um consensus indicatur de œconomia N. T. Evangelica.

Consentiunt eum Hammond alii *Remonstrantes* nec dissentit *Clericus*, in eo nempe, quod Paulus a Justificationis negotio ritus tantum Mosaicos exclusit, ex quo supposito Exegetico illas suas hypotheses dogmaticas extruunt; DEUM justificare homines per fidem & opera, exclusis tantum ritualibus Mosaicis, justitiam DEI esse illam quæ opponatur Justitiæ Judæorum in præceptis ritualibus quæsitæ, & hanc esse œconomiam Evangelicam Novi Test. hominem nempe per *fidem obsequiosam* justificari, seu per fidem & opera exclusis ritualibus operibus tantum.

§. XIII.

Refutatio ex ratione quod non justam faciunt oppositio- nem. fidei & operum.

Verum enim vero haud justa est oppositio ista justitiæ judicæ & Evangelicæ Novi Testamenti, item fidei & operum. Non enim tantum per Ceremonias Mosaicas non justificari homines sub Evangelio, sed nec per Legis Moralis præcepta, per totam fere hanc Epistolam Paulus docet & demonstrat; Sola fides in Christum ex nostra parte justitiam coram DEO valentem obtineri, adstruit, vid. Cap. III, 24. 28. IV, 3. 4. 5. V, 1. VI, 14. 17. 18. VIII, 33. 34. IX, 12. 30. 31. 32. X, 4. 10. XI, 6. conf. Epist ad Galat. *Remonstrantes* vero opera cum fide confundunt, & veluti in unam massam conjiciunt, cum tamen Spiritus S. tam sollicitè in negotio justificationis illa distinguat, ac diversum ordinem efficaciam & respectus distinctos indicet, confundunt quoque hi Auctores justitiam coram DEO valentem & eam quæ inhaerens dicitur, & imperfecta est in homine. Rursus fidem cum justitia confundunt ac si hæc unum essent, cum tamen in tam gravi materia qualis hæc

hæc est, caute, distincte & magna cum cura loquendum & scribendum fuerit.

§. XIV.

Considerabimus distinctius quid *Hammondus* & *Clericus* per fidem intelligant, quando Paulus ait: *justitiam DEI* patescere ex fide in fidem: fidem, ajunt significare hoc loco *admissionem Evangelii* & obedientiam Christo præstandam, immutato primo vitæ instituto, *Clericus* vero peculiariter adhuc fidem describit illam, qua non amplius Prophetis, ut a *Judeis*, vel *Majoribus*, ut a *Gentilibus* sed Evangelio adhibeatur. Rursus: fidem vocant, si quis *DEI* revelationi credat, eique in posterum obsequatur, item; non restringendam esse conditionem justificationis & *Salutis* ad unam quandam Christianam virtutem, qualis est fides, aut alia quavis, sed completi obsequium toti Christianæ legi ex animo præditum. In Paraphr. Cap. III. describens Evangelicam *DEI* Oeconomiam manifesto docet, peccatorum condonationem adscribendam esse *DUNIAXAT* Morum ex præscripto Christi mutationi constantique partitioni, quam in rem vires a *DEO* accipiat ut nulla gloriatio locum habeat. Consentit *Clericus* pag. 21. his verbis: quin doctrinæ quam hic habet *Theologus* noster (*Hammondus*) verissima sit, si in se spectetur, nemo dubitabit, qui sciverit quæ sit *sedes Evangelici naturæ*.

Consideratio distinctior Hammond & Clerici sententia de fide h. b.

§. XV.

Sitem in summam constringamus; status controversiæ restrictæ ad formulas loquendi *Hammondianæ* & a *Clerico* approbatas hic erit. An fides hoc loco sit admissio Evangelii & obedientia Christo præstanda, immutato primæ vitæ instituto? Et An peccatorum condonatio adscribenda sit duntaxat morum ex præscripto Christi mutationi constantique partitioni? Affirmat *Hammondus* nec dissentit *Clericus* aliique partium *Remonstrantium* seu *Arminianarum*, sic enim *Simon Episcopus* in Disp. part. 3. disp. juxta for. 22. th. 10. fidem qua credenti imputari dicitur in justitiam, bona opera multas *Hammond* non tantum non tollere, sed ea ipsa aut saltem eorum faciendorum mundi &

Status controversiæ de fide in negotio justificationis: quid prætionis: quid per eam in-

Clerici: E. *propositum natura sua in se continere & comprehendere. Idem*
piscopi & cum coetu Remonstrantium in confessione ipsorum Cap. X, §. 2.
Limborchii ait; quia fides vere passim a Servatore nostro promissa vita eterna
suffragium. adjuncta est, imo fides ipsa credenti in Justitiam imputari dicitur; &
in bilominus tamen nos etiam NB. ex operibus justificari ac non ex
fidem tantum Jacobus affirmat; Paulus vero etiam pietatem habere
promissionem presentis & future vite, asserit; quin imo sine san-
ctumonia neminem visurum Dominum, Auctor ad Hebraeos asseve-
rat, aliaque in eandem Sententiam non pauca in SS. expresse legun-
tur; utique (NB) necesse est ut fidei prescriptum non alio modo
hic consideretur, quam quatenus proprietate sua naturali obedi-
entiam fidei includit, & tanquam fecunda bonorum operum mater est.
Sic & Limborchius in Theologia Christiana eo loco ubi de justifica-
tionem agit (g) sciendum, ait, quando dicimus nos fide justificari,
(NB) nos non excludere opera, quae fides exigit, & tanquam fe-
cunda mater producit omnem illam obedientiam, quam DEUS in
novo fœdere prescribit; quaeque per fidem in Christum praestatur.
In Comment. in hanc Epist. ante VII. annos edito scribit in hanc
ipsum locum quem praë manibus habemus; per fidem intellige
fidem in Jesum Christum, qua doctrinæ Christi tanquam divinae
assentimur, ipsi tanquam Sacerdoti & Regi confidimus; certi; si
mandatis ipsius obtemperemus, nos remissionem peccatorum ac
vitam æternam per ipsum consecuturos esse; quæ fides omnium
praëceptorum ipsius obedientiam producit quæ una hic cum fide
includitur. Deinde ad Rom. III, 24. scribit; hæc fides, cujus
objectum est Christus sive filius DEI non est merus assensus aut nuda
fiducia, sed includit obedientiam omnium mandatorum lege Evan-
gelisti prescriptorum. Quod deinde Argumentis & rationibus ad-
struere nititur.

§. XVI.

Refutatio Sed primo hi Viri in re gravissima admodum confuse de
Hammondi, fide, Evangelio & justitia loquuntur, Jam enim fidem pro Evan-
Clerici gelio
quibus acce-
dunt, Episco-

(g) Lib. 6. Cap. 4. p. 280.

nis genera- liter accipi- unt, & e- am cum ope- ribus con- fundunt. creditur, de quo tamen significatu in doctrina de justificatione prorsus non debet esse sermo, quippe ubi fides in Christum tantum respicitur & quæ Evangelii est. Deinde in descriptione illa causam cum Effectu id est fidem & opera complicant, quæ tamen in articulo de justificatione prorsus distingui debebant; hic enim de sola fide in Christum quæ essentialiter est fiducia illa in ipsum, qua meritum ipsius vera fide amplectimur; agitur. Sicut Paulus eam describit in hac Epistola ut fidem nempe in sanguine Christi

si Cap. III, 25. huic enim soli tribuitur ex nostra parte justifica-

(d) Justificatio- nem ex con- ditione fidei seu virtutis & omnis ob- sequii legalis suspendunt. (d) porro errorem cum errore cumulans, & prorsus cor- rumpunt sanam doctrinam dum ajunt; remissionem peccatorum seu justificationem pendere ex conditione, quæ conditio non sit sola virtus fidei sed obsequium toti Christianæ legi debitum. Lu- tum luto purgant, nam scripturæ penitus adversum est; fidem in negotio justificationis pro virtute accipi ac ut conditionem lega- lem respici, quo sane Arminiana hypothesis tendit. In eo vero plane & naturæ fidei & justificationis adversantur quod tam aud-acter pronunciant, fidem hic complecti obsequium toti Christianæ legi ex animo præbitum, quomodo justificationem & sanctifica- tionem confundunt, legem cum fide, quæ si non prorsus subver- tant, obscurant certe & detorquent articulum summum & funda- mentalem de justificatione.

S. XVIII.

Demonstra- tio exclusio- nis operum a negotio ju- stificationis. Primum ac principale nostratum Argumentum sole meridiano clarius, ex eo desumptum est, quod Paulus in tractando articulo justificationis fidem unicum medium ex hominum parte justificationis constanter operibus opponit in hac Epist. ad Rom. Hujus Argumenti nervi hac maxime tendunt, quod Apostolus in universum loquatur de omnibus operibus lege divina præceptis etiam illis quæ virtute fidei in Christum producentur, idque probatur 1.) ex ipsa natura vocum; quia sermo Apostolo est quando ait, nos fide justificari, de tali fide quæ est sine operibus legis. Rom. III, 28. At lex primo & principaliter denotat *Moralem* & opera eo pertinentia. Præterea sine restrictione loquitur, adeoque de omni-

Nervus Ar- gumenti 1.)

omnibus præceptis legalibus & operibus. 2.) ex absoluta ap-
 pellatione operum sine additione legis, ut intelligamus, quicquid
 operibus a DEO præceptis annumerari potest, illud omnino ex-
 cludi a negotio justificationis ejusque causis. Sic Rom. IV, 2.
 dicitur, *Abrahamum non esse ex operibus justificatum* & ad Rom.
 XI, 6. *si per gratiam; jam non ex operibus*, ubi iterum vocem:
opera usurpat sine additione legis. 3.) ex scopo Apostoli, qui est; *Argumenti*
 docere, justificationem ex mera gratia & misericordia DEI fieri, *nervus 3.)*
 cui subordinat meritum Christi & fidem in ipsum, unde, quando
 ait, hominem *justificari gratis ex gratia DEI per fidem in sanguine*
Christi, sine operibus, manifesto omne illud a causis justificationis
 ex parte hominum excludit, quicquid non est fides, sed operis no-
 men, sustinet. Itaque opera exclusa a justificatione non pos-
 sunt esse mere ritualia, cum, certe potiores ac præcipuas partes
 teneant ea opera, quæ legis sunt Moralis. Præterea si opera le-
 gis Moralis adjungantur fidei in justificatione ut volunt Aucto-
 res allegati, justificatio non erit amplius ex gratia: juxta argu-
 mentationem Pauli cap. XI, 6. 4.) ex fundamento quod Apo-
 stolus ponit sub initium Epistolæ; ostendit enim: nullum ho-
 minem sive gentilem sive judæum per opera justum esse, sed om-
 nes obnoxios morti æternæ, etiam infantes Rom. I. II. III. V.
 imo nec posse ullum salvari per opera, sic enim Cap. III, 12. *πᾶν-
 τες ἄχρηστοὶ ὄντες* id est, omnes homines sunt profus inutiles &
 inepti ad perpetrandum verum bonum, facti, ita ut etiam conver-
 sus & pius adhuc conqueri debeat de malo inhabitante, peccato
 nempe quod ipsum miserum faciat in hac vita Cap. VII, 18. & 24.
 Cui adde Cap. VIII, 3. ubi mentio fit *ἀδυνατῶν τῶν ἔργων* scil. in
 ordine ad justificationem. E. non potest quis per opera justifica-
 ri sive per legem, etiam si credat in Christum, & ex Spiritus S. gra-
 tia opera sancta, charitatem, patientiam, lenitatem &c. prodat. *Argumenti*
nam qui in uno offenderit, factus est omnium reus Jac. II, 10. 5.) *nervus 5.)*
 Excluditur omne opus legis a justificatione. Atqui opera ex
 gratia Spiritus S. peracta etsi pertineant ad Evangelii gratiam
ratione productionis per Spiritum S. & fidem, non tamen ratio-

ne prescriptionis & obligationis, quæ legis est, cum Evangelio nequaquam confundendæ.

§. XIX.

*Exceptio
Hammondi
ad quam*

Excipit quidem *Hammondus* (k) & cum eo *Clericus*; non posse hic fidem opponi omnibus operibus sed tantum excludi ritualia legis Mosaicæ, quod pateat ex instituto Pauli confutantis Judæos & Judaizantes, qui crediderint, se DEO acceptos fore & apud illum justificatos, si ista de ritibus Mosaicis præcepta observarent, cujus contrarium hic Paulus docere velit, adeoque non debere per fidem plus operis excludi quam ritualia seu opera ceremonialia. Sed Respondetur 1. manifesto assertum Viri adversari Pauli doctrinæ, nam (1.) de operibus loquitur, quæ illius legis sunt ex qua maxime est agnitio peccati, respectu omnium hominum & gentilium & judæorum Cap. III, 20. Atqui non ex lege Ceremoniali seu rituali talis est agnitio peccati sed ex lege morali. 2.) Resp. de illa lege loquitur Paulus, ex qua cognoscitur quod concupiscentia sit peccatum Cap. VII, 7. at hoc ex lege morali perspicitur. 3.) Resp. de illa inquam lege, per quam omnes homines sunt rei mortis propter peccatum Cap. III, 9. sed hæc est moralis. 4.) Resp. de lege quæ iram operatur in universum erga omnes peccatores. Cap. IV, 15. De lege unde abundat delictum Cap. V, 20. Resp. II. judæi non tantum quærebant justitiam suam in præceptis ritualibus, sed juxta doctrinam suam publicam in universa obedientia quam legi in externis præstabant actionibus. Sic Phariseus ille apud Lucam (l) non tantum in eo gloriatur quod bis in sabbatho jejuner. & de omnibus det, quæ possideat, sed & in eo, quod non sit flagitiosus, homo non mæchus, latro &c. adeoque gloriatur de lege Morali quam severè, præsertim enim Pharisæi de justitia sua gloriabantur in rigoroso obsequio legi Morali præstito; quam tamen interpretamentis suis falsis corruperant, ut Christus docet Matth. V, 21. seqq. & alibi.

Respondetur. I.

(2.)

(3.)

(4.)

Resp. II.

§. XX.

(k) p. 9. ad cap. I. Rom. (l) Luc. XVIII, 11.

Limborchius regerit in Theologia Christiana (m) per *Exceptiones*
fidem operibus oppositam non intelligendam esse nudam fidem con- *Limborchii.*
tradistinete ab operibus, quae fides producit; sed una cum fide om-
nem illam obedientiam, quam DEUS in novo foedere praescribit, *ad quas*
quae quatenus cultum continet spiritualem recte operibus legis oppo- *Resp. 1.)*
natur. Respondemus (1.) obedientia illa quam DEUS in novo
foedere, uti loquuntur, praescribit, est duplicis generis; una respicit
ordinationes ad Evangelium spectantes ut credere in Christum,
fidem habere Mediis sacramentalibus a Christo institutis: altera
pertinet accurate loquendo ad repetitionem legis moralis, &
huc spectant opera quae a negotio justificationis excluduntur, &
dicuntur opera legis, quia, ut supra dictum a Lege praescribuntur.
(2.) Resp. fidem continere opera ut causam effectus suos non *Resp. 2.)*
ut illa sunt legalia sed ut sunt cultus spiritualis: suo modo quidem
verum est, sed oppositio non est justa & adequata, dum dicit fi-
dem excludere opera ut sunt legalia sed non ut sunt cultus spiri-
tualis; nam & ipsa lex spiritualis est ad Rom. VII. 14. & in lege
praescribitur cultus spiritualis hoc est qui fit in spiritu & veritate
& a Spiritu S. producitur, idem itaque cultus spiritualis, ex fide &
operibus procedens legalis est quoad praescriptionem normam
& Regulam, unde non potest non per opera legis a causis justifi-
cationis ex parte hominis juxta Pauli doctrinam excludi cultus
spiritualis, in quantum vero hic cultus Spiritualis consistit in
fructibus fidei, ad Evangelium quidem spectat, sed non ad justifi-
cationem pertinet, verum ad sanctificationem, quae scriptura sol-
licite distinguit. Cultus ille spiritualis in se manet opus legis quip-
pe a lege requisitus & praecipuus, etiam exterius ex gratia respectus
Evangelicus accedat.

Assurgit tamen idem *Limborchii* in *Comm. ad Rom. III,*
 25. adversus doctrinam orthodoxam de fide: cui omnino opera ad
 C 2 *argumenta*
ex comment.
in Epist. ad
Rom.

(m) pag. 747.

Ejus argu-
mentum I.

justificationem conjungenda sint, variis argumentis I. quod aliquando opera jungantur fidei ut *Galat. V, 6. Jac. II, 24. 1. Joh. III, 7.* unde colligit; quando sola fides nominetur, illi etiam opera quae producit, hoc est, obedientiam Evangelicam includi, imo sine operibus fidem esse mortuam, & ad justificationem & salutem inefficacem. Hac talia argumenta etiam protulit *Episcopus* in supra alleg. Apolog. Rem. l. c. sed Respondemus *Limborchio* (1.) rectius olim sensisse *Jacobum Arminium* Remonstrantium communem Praeceptorem. Sic enim in Responsione ad XXXI. Articulos; (n) *Scio, Sanctos qui sistentur tribunali judicii divini, & fidem habuisse, & ex fide opera patrassent, sed arbitrator, illos comparere & stare coram DEO hac fiducia, quod DEUS filium suum J. C. proposuerit propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, ut sic ex fide J. C. justificentur per remissionem peccatorum. Non lego NB. Christum esse constitutum propitiatorium per opera, ut etiam ex operibus justificemur.* Resp. (2.) quod dicit *Limborch:* aliquando opera fidei conjungi, ad rem prorsus nihil facit; nam de eo dispiciendum erat, an conjungantur fides & opera ratione efficientiae & influxus in justificationem seu remissionem peccatorum; an alio quodam respectu. Certe locus ad *Galat. Cap. V, 6.* nihil prorsus ad rem facit, nam (2) non dicit Apostolus in hoc loco; fidem per charitatem operosam valere aliquid ad justificationem sed simpliciter & sine respectu ad justificationem. Itaque indagandum est ex contextu, de quo & quali valore fidei loquatur; jam in proxime antecedente *versu quarto* loquitur quidem de eo, quod per legem adeo non datur justificatio, ut, qui per eam justificari velit a gratia exciderit, ex fide enim sperari debere justitiam; sed non dicit, Charitatem per quam fides operosa est, valere sive efficacem esse ad justificationem, sed describitur tantum fides per illud praedicatum, quod fides, unde justificatio speranda est, sit operosa per charitatem. Quae descriptio non necessario desumpta est a

Ad Resp.
quod 1.)

Resp. 2.)

(a)

(n) opp. *Armin. artic. VI. p. 175.*

forma fidei, vel proprietate ejusdem sed ex aliis potius respectibus derivari potest, maxime vero hoc loco ex eo, quod illa efficacia & operatio per charitatem NB. *nota quaedam & signum* sic veræ fidei, (β) non potest ille valor, de quo Paulus loquitur ad charitatem extendi ratione justificationis, sic enim fibimet ipsi contradiceret, quippe qui ex antecedenti vers. 4. tanto cum zelo asseruerat; non justificari hominem per legem, si nunc assereret, charitatem, quæ certe legis est & ad legem spectat, valere ad justificationem, vel quod idem est, fidem, quatenus per charitatem efficax est, facere ad justificationem.

(β)

§. XXII.

Multo minus alter locus Jacobi Cap. II, 24! ex operibus justificari hominem & non ex fide tantum; aliquid ad scopum facit. Est hic locus ab universo propemodum Regno diaboli jam velut in signum contradictionis protractus, nam & Pontificii, & quotquot sunt operistæ sive legulei. Resp. autem cum Nostratibus i.) Jacobum loqui de justificatione declarativa, qua quis declaratur justus tum erga se ipsum tum erga alios; contextus id docet, urget enim Apostolus, fidem operibus esse declarandam; ostende mihi inquit, fidem tuam ex operibus, & ostendam tibi meam. Regevis quidem Episcopus; neminem posse fidem suam cognoscere certo, an vera sit an falsa & hypocritica, adeoque nec de operibus judicare, an bona sint an mala, non dari itaque justificationem declarativam, seu fidem, quæ per se perspicui non possit, neque per opera dignosci certo, per eadem opera etiam non declarari. Sed nugæ sunt ista, quas quidem Reformatorum opponit hypothèsibus, quæ tamen etiam Nostrates quodammodo feriunt, unde Respondemus; falsissimum esse, neminem de fide sua certum esse posse, num vera sit & genuina an non? cur enim Apostolus adhortari potuisset ad explorationem fidei II. Cor. XIII, 5. Si illa esset impossibilis? porro: si fidei veræ fructus ab hypocriticis distingui non possunt, cur ergo toties monuit Spiritus S. ut caveamus nobis a Seductoribus, quales certe illi hypocritæ sunt, item; ne communionem habeamus cum impiis

Resp. ad Lot.

Jac. II. a

Limborchio

allatum, &

Sociniani,

ad Episcopii

exceptionem

Resp. i.)

C 3

§ *operibus tenebrarum*; quanquam enim non per infallibilem scientiam alterius animi statum dignoscere queamus; quod solius DEI est, tamen eo usque recte attendendo illum dijudicare possumus, ut ex malis ipsorum operibus de hypocritica fide arbitrari valeamus. Quoad illa vero opera, quæ externa specie bona videntur, & tamen in radice mala sunt, quia non ex fide progrediuntur & contextu tamen vitæ sufficienter ad praxin detegi possunt.

§. XXIII.

Comprehensio in summam.

Rectius itaque & contextui ac analogiæ fidei convenientius explicantur illa verba: *ex fide in fidem*, hoc modo: quando per Evangelium fides in cordibus accenditur, ex ipsa illa fide iustitia DEI manifestatur, imputatur enim per fidem, estque adeo suo modo effectus fidei. Quando vero adjicitur *εις πίσω* in fidem; sensus est; illam fidem, cujus iuvitu DEUS justificat & peccatum remittit non esse otiosam neque statim extingui, sed efficacem & operosam ad ulteriorem fidem. De fide autem in sanguine Christi est sermo, & prout justificationis circulum ingreditur, non uti opera producit, sed prout iustitia DEI ex illa manifestatur. Putat vero *Hammondus* porro: nisi sub fide comprehendatur obsequium toti Christianæ legi ex animo prebitum, magnos inde ac periculosos errores in hoc negotio creati. Resp. Ex hac ipsa hypothese *Hammondi* potius periculum salutari doctrinæ emergit, quemadmodum supra probatum est, & res per se docet. Quæ enim doctrina confundit justificationem cum sanctificatione, fidem cum operibus, ita, ut opera quoque ad justificationem contribuere asserat; ille Evangelium, gratiam DEI, meritum Christi, si non prorsus tollit, certe obscurat.

Geruina Apostoli sententia de verbis ex fide in fidem proponitur.

§. XXXVII.

Quod diximus de fide, intelligi eam h. l. quæ est in sanguine Christi, patescit ex descriptione *Paulinæ* ad Rom. III, 25. ubi, quid fides aliud potest designare quam illam *fiduciam*, quam quis in morte Christi collocat ad impetrandam iustitiam DEI vitamque æternam. Dico, in morte Christi, nempe *meritoria* & *satisfactoria*, sicut patet hoc loco 1.) ex eo, quod Christo adscribitur *ἀπολύτρωσις* i. e. redemptio per pretium, quod pro beneficio justificationis hominibus impetrandum exhibetur. 2.) quod DEUS dicitur Christum proposuisse *ἡλεσθήριον* sive placamentum per fidem apprehendendum, vel ut *Johannes* loquitur *propitiationem*, pro mundi peccatis 1. Joh. II, 2. conf. II. Cor. V, 18. Rite enim argumentamur: ubi est *ἀπολύτρωσις* ibi est mors *meritoria*.

Explicatur vox fidei de sanguine Christi.

via & satisfactoria. A. in Christo E. Maj. prob. ex ipsa vocis vi & usu, est enim ἀπολύτρωσις talis liberatio, ubi pretium redemptionis græce ἀντίλυτρον [exponitur, ut explicat Paulus 1. Tim. II, 6. *Matthæus* vocat λύτρον cap. XX, 21. Est autem pretium redemptionis proprie, quod valorem habet solutionis pro eo, pro quo datur; cum itaque Christi passio & mors sive vitæ profusio & ipse Christus hoc respectu ἀντίλυτρον dicatur, cujus nomen intuitu DEUS homini reatum damnationis & obligationem ad satisfaciendum legi sub maledictionis condemnatione remittat, quid hoc aliud est quam morte sua & perfectissima obedientia movisse DEUM ut pœnam mortis æternæ & satisfactionem legi per exquisitissimam obedientiam, debitam remitteret. Nam quod lex adhuc hominibus post lapsum præscribit obedientiam, non fit eo, ut ex asse legi satisfaciant, in finem justificationis & salvationis; sed in Regulam vitæ & fructuum fidei in Christum, atque ut gratitudo exhibeatur DEO pro summo isto liberationis beneficio, & ut DEO ac Salvatoris nostri exemplo conformemur, ubi lex Modum & Regulam præscribit illustrata Evangelio; Præterea ut homini, Christum non quærenti debitum & maledictionem exprobet. Deinde sic quoque recte concludimus: per quem sibi nos DEUS reconciliavit, ita ut pretium intervenerit sanguinis ac mortis Christi ille utique nobis meruit salutem & amorem DEI seu Patris.

§. XXXIIX.

*Exceptiones
Hammondi.*

Excepit Hammondu; ἀπολύτρωσις que est in Christo Jesu, esse eam, qua liberantur homines ab necessitate peccandi in peccatis, & vocantur ad pœnitentiam, adhibitis omnibus artibus quibus possint redimi, & purgari ab omni iniquitate; quod vocatur λύτρον Tit. II, 11. & ποιὴν λύτρωσις Luc. I, 68. Resp. 1.) non exhaurit Auctor vim vocis & verum usum ἀπελύτρωσις, dum loquitur tantum de liberatione, sed non exprimit modum liberationis, qui tamen clare ista voce indicatur quod nempe pretio facta sit liberatio, sic dicitur 1. Cor. VI, 20. *pretio emti estis* & 1. Petr. I, 18. 19. pretioso sanguine veluti agni immaculati &

& in contaminati Christi. 2.) neque ἀπολύτρωσις est tantum liberatio a necessitate pereundi & vocatio ad poenitentiam, sed aliud & plus omnino dicit, nempe *actualem* acquisitionem vel impetrationem remissionis peccatorum & receptionis in gratiam quam vocatio ad poenitentiam demum sequitur. Sic quando pro captivo pretium liberationis exponitur, hoc non tantum liberat a necessitate pereundi, sed eo ipso, si accipiat, confert jus libertatis & *meritorie* liberat. 3.) quod ad redemptionem refert vocationem ad poenitentiam, *adhibitis omnibus artibus, quibus possint redimi & purgari ab omni iniquitate*; in eo confundit articulum *secundum* cum tertio, redemptionem ipsam cum ejus applicatione; redemptionis actus pertinet ad satisfactionem non ad vocationem, ubi artes quasi divinae adhibeantur, ad reducendum hominem per verbum & per varii generis persuasiones & motiva. In Redemptionis negotio unice valet consilium DEI ab æterno de liberatione hominum per satisfactionem, cujus finis inter alios est, purgari vel liberari ab omni iniquitate, tum ratione *reatus*, ne nos condemnet, tum ratione *dominii* ne dominetur nobis. Itaque sensus loci Tit. II, 14. quando Apostolus ait; Christum dedisse se ipsum pro nobis ut redimeret nos ab omni peccato sive iniquitate; profus corrumpitur, quando *Hammondus* verbum λυτρωσας explicat de liberatione ab necessitate peccati & vocatione ad poenitentiam, adhibitis omnibus artibus, quibus possint redimi & purgari a peccatis, sicut & alterum locum Luc. I, 68 ubi phrasis; ποιεν λυτρωσιν, invitum trahit in illum sensum, quando nempe *Zacharias* ait: *Redemptionem fecit populo suo*, ubi vero deauro nulla ratio apparet, cur a proprietate literæ discedamus; denotat enim λυτρωσις ut antea dictum, liberationem quæ sit exhibitione pretii, quod nempe *Messias* jam tum conceptus in sanguine suo præstiturus erat.

§. XXXIX.

Ad alterum locum Rom. III, 25, de propitiatorio notat: *Hammondus* quod *operculum arce* propterea dicatur ἱλαστήριον sive propitiatorium, quod *DEUS promiserit, se Mosen ex illo loco allocuturum* vocis: pro-
 esse pitiatorii.

esse & daturum responsa, & post pauca; causas denominationis propitiatorii indicaturus, scribit: per Christum DEUM responsa dedisse orbi terrarum, atque ita hominibus se propitium exhibuisse, per eum etiam viam ostendisse, qua placari volebat, nempe per fidem in ejus sanguinem, quam conditionem a nobis postulabat, non legalem cultum rituum, sed Resp. i.) illud quidem bene se habet, quod Christum vocat αντίτυπον propitiatorii ἱερέως enim a ἱερέως expiavit placavit notat placamentum, quod Spiritus S. de Christo in N. T. ita explicat, ut dicat: DEUM misisse filium suum ἱλασμόν propitiationem pro peccatis nostris, i. Joh. IV, 10. conf. i. Joh. II, 2. & Hebr. Cap. II, 17. ubi dicit Apostolus: Christum Pontificem factum eis τοῖς ἱλασθεῖσαι τὰς ἀμαρτίας τῆ λαῶν itaque secundo Tegmen arcæ non propterea est propitiatorium dictum primo & principaliter, quia DEUS se ibi propitium exhibuerit, & responsa dederit; sed quia per Christum ceu αντίτυπον propitiatorii in sanguine ipsius placatus & propitius factus est.

§. XL.

Clerici sen-
tentia de
voce ἡλασί-
γιον.

Regerit Clericus; nullam hic esse allusionem ad operculum arcæ, sed ἡλασίγιον esse idem quod θύμα victima, ratio ejus est; quia illico mentio fiat sanguinis, cui nulla sit cum operculo arcæ affinitas, sed Resp. i.) sanguis utique magnam habet affinitatem cum operculo arcæ ut loquamur stylo Clerici; nam victimarum sanguis spargebatur versus propitiatorium Lev. XVI, 14. ut inde pateret, nullam propitiationem fieri nisi per sanguinem Christi, cum absque sanguinis effusione non fiat remissio Ebr. IX, 22. & Petrus Apostolus exprimit illam sanguinis asperersionem typicam in antitypo ejusque applicatione, quando de electis ait: eos in sanctificatione spiritus esse electos eis in obsequium scil. fidei & asperersionem sanguinis Jesu Christi applicatam nempe per fidem in sanguine Christi, cujus asperso versus Tegmen arcæ sive propitiatorium significabat: DEUM tum propitium fore cum per fidem sanguinem non bestie ἀλόγως sed veræ illius victimæ expiato-

ἡλασίγιον
ἐπιπέσει
ἐπὶ τὸν θρόνον
καὶ ἡμαρτίας
καὶ ἀδικίας
καὶ πάντα τὰ
κακὰ ἕξωσεν
ἐκ τῆς πόλεως
καὶ ἐκ τῆς
ἐκκλησίας
καὶ ἐκ τῆς
πόλεως καὶ
ἐκ τῆς ἐκκλησίας
καὶ ἐκ τῆς πόλεως
καὶ ἐκ τῆς ἐκκλησίας

piatoria J. C. DEO sistimus. conf. B. Calov. (p. 2.) non itaque immediate & formaliter *ἡλασθηριον* notat victimam, quod natura & usui vocis prorsus repugnat, includit tamen victimam ejusque sanguinem eo modo, ut antea dictum. Neque vero 3.) simpliciter admittere possumus illam Batavi paraphrasin verborum? quem proposuit DEUS placamentum per fidem in sanguine ejus; hoc est, quem Jesum, docet DEUS, in Evangelio, esse piacularem victimam cujus sanguine NB. expiantur peccata eorum qui ei credunt. Confuse enim iterum, ut in toto hoc negotio loquitur. Expiatio enim seu placatio seu propitiatio in S. Scriptura sumitur *vel per se & absolute* ratione meriti & acquisitionis, ita sane spectat ad omnes non tantum eos, qui credunt. *Vel in applicatione*: & sic tantum ad credentes pertinet, qui sibi id applicant actu. Quod autem omnia peccata sint expiata certo modo & non tantum credentium, patet sole clarius, tum ex 1. Joh. II, 2. ubi dicitur *propitiatio pro totius mundi peccatis* i. e. omnium hominum, hinc etiam Paulus Timoth. scribit I, 2. *Christum se dedisse pretium redemptionis pro omnibus*, hominibus scilicet. *vult enim DEUS salvos fieri cunctos homines & ad agnitionem veritatis pervenire* ver. 3. & 4.

S. XLI.

Hinc etiam dicitur DEUS sibi mundum reconciliasse per Christum deinde demum sequitur reconciliatio applicatoria II. Cor. V, 20. Est vero multum omnino situm in hoc diverio reconciliationis & expiationis modo, nec sine periculo confunditur, *nam* quia clari textus repugnant, *nam*, quia illa acquisitoria expiatio & reconciliatio ostendit meriti vim & gratiosam DEI intentionem, qua veller omnibus peccata remittere, eaque quae fini etiam media applicat, haec vero applicatoria actualem in justificatione reconciliationem & remissionem peccatorum importat. *Præterea* innuit illa *acquisitoria* sive *impetratoria* reconciliatio sive *expiatio* justitiae divinae immutabilem rationem, ut pote

De momento distinctionis inserit reconciliatio nem acquisitionem & applicatoriam.

(p) in fr. bibl. Illustr. ad hunc loc.

per quam fieri non potuit, ut DEUS misericordiam reis exhiberet nisi luitio aliqua & meritoria expiatio in mente divina precessisset & deinceps reapse secuta esset. Tandem quomodo reprobi possent dici increduli vel repudiantes meritum Christi, nisi Christus ipsorum quoque peccata expiasset & salutem merito suo impetrasset; & qua fiducia quæso inniti possent sacrificio Christi nisi pro se quodque factum esset, unde iterum male Clericus suo sensu scribit ad h. *in sanguine nobis nullo potest esse usus, nisi Christo credamus, cuius sacrificio DEUM nobis propitiatum iri speramus.* Non demum propitiatur DEUS sacrificio Christi hominibus, sed ille modus propitiationis per sacrificium in cruce iam obtinuit; per fidem autem in illud sacrificium fit applicatio, unde actualis placatio ex nostra parte demum oritur, cum ex parte DEI iam antea in cruce facta sit propitiatio.

§. XLII.

Hactenus de sensu verborum; *ex fide in fidem*, & quod fides in sanguine sive morte meritoria & satisfactoria Christi intelligatur exclusis operibus & negotio justificationis. Restat nunc ut de eo agamus, quomodo fides se habeat in articulo justificationis; sic enim plenius se ratio prædet, quomodo ex fide iustitia, & qualis illa sit, reveletur in Evangelio, vel in Oeconomia Evangelica. Hammondus pag. 22. Col. 2. scribit; DEUM fidem in sanguinem Christi NB. ut conditionem a nobis postulare per quam propitari DEO possimus. Explicat deinde illam conditionem; quemadmodum, ait, DEUS semetipsum exhibet nobis in Christo, ostenditque suam iustitiam sive misericordiam, & propitium se nobis revelat, dum consequendæ veniæ viam aperit; novumque foedus nobiscum facit; ita nos vice versa oportet credere Christo, exhibenti ac revelanti nobis voluntatem paternam, & observare conditiones nobis latas respicientiæ & melioris vitæ: quibus receptis a nobis, pollicetur, se erga nos misericordem futurum. Ea de causa hic conditio proxime subicitur DEI actioni, qua Christum ut piacularem victimam proponit &c. subscribit Hammondus Clericus his verbis: *verissima sunt quæ hic theologus*

Quomodo fides se habeat in justificatione. Hammondus ut conditionem considerat. cum quo sentit Clericus.

a nostro disputantur. Verum enimvero *αθεολογος* dicitur *τ.*) quibus
 fidem esse conditionem a nobis postulatam qua propitiemur *Resp. 1.)*
 DEO; non enim placamur DEO per fidem ut conditionem ali-
 quam, & quidem *Moralem*. Vocarunt quidem jam pridem
 Nostrates fidem justificam, conditionem sed non intellexerunt
Moralem, uti Remonstrantes, sicut recte explicat B. *Schmidius*
 (9) sed *physicam* quasi, quæ nempe sit instrumentum necessarium,
 Quando enim dico: Si credideris, salvaberis; non *conditionem*
moralem sub qua salvandus sis, sed *necessitatem instrumenti*, per
 quod salvandus es, significo. Declarat rem ex naturalibus; si
 alas habueris, volabis, quo conditionem quidem ad volandum dico,
 non tamen conditionem *moralem* sed *necessarii instrumenti*,
 five Medii sine quo volare tibi non licebit & volare frustra cona-
 beris. 2.) perplexe illud dictum est DEUM propitium se nobis
 revelare, dum consequenda veniæ viam nobis aperit, & novum
 foedus nobiscum facit. Quæ possent quidem commodam nan-
 cisci explicationem, h. m. DEUM in Christo sive per & propter
 Christum intuitu nempe ejus metui se nobis propitium exhibere
 & vocare ad pœnitentiam, nobisque viam monstrare consequen-
 da veniæ per fidem nempe in Christum, sed sequentia verba ma-
 nifestius nos revocant a bono sensu & ad avia ducunt, quando
 scribit: DEUM ita nobiscum facere foedus novum ut, sicut ipse
 se nobis propitium revelat & foedus facit nobiscum; ita ei creda-
 mus & condiciones observemus quibus receptis a nobis pollice-
 tur, se nobis misericordem futurum, sic enim fundat gratiam
 & misericordiam nobis exhibendam in fide & observatione præ-
 ceptorum Christi tanquam conditione quadam morali, quæ com-
 munis est hypothetis Remonstrantium, cui vero h. l. reponimus;
 3.) si fidei & melioris vitæ conditionibus a nobis receptis DEUS
 demum se misericordem polliceatur, ita, ut sub illa conditione ju-
 stificandi & salvandi sumus; eo ipso justitia & salus obringent per
 opera quod profus refragatur doctrinæ Pauli ut supra ostensum,
 præterea 4.) quod dicit; DEUM se Misericordem polliceri con-
 ditio-

F

(9) *dispp. in F. C. de justif. disp. 4. p. 235.*

ditionibus a nobis receptis; distinguere debuerat inter promissiones; nam quædam sunt *absolute*, quæ se non fundant in certo ordine divinitus constituto & ab hominibus admisso velati quando Christus dicitur pro omnibus mortuus, & quod DEUS dederit hominibus Redemptorem, misericordia certe hæc est absoluta nec nititur conditione sive ordine certo implendo, nam etiam immorigeris & incredulis ex misericordia divina datus est, male itaque & prorsus impudenter dicitur sine restrictione, DEUM velle propitium esse, si conditiones impleantur ab eo posita. Deinde sunt *promissiones conditionate*, vel sub certo ordine, quæ vero in Evangelio non ut conditio moralis respiciendæ sunt, quippe ubi tantum intuitu Christi fide apprehensi DEUS misericordiam præstat, in quo etiam & propter quem opera ex fide permanantia DEO placent, non sub ratione conditionis alicujus implere, quod plane adversatur scripturæ.

XLIII.

Episcopii exceptiones ad id, quod fides in articulo justificationis sit instrumentum seu causa instrumentalis.

Evident jam pridem illam nostratum hujus articuli declarationem quando fidem vocarunt instrumentum justificationis & salutis nostræ, Remonstrantes suggillarunt. *Simon Episcopus*. (*) scribit; fidem, si rem recte expendamus, presse ac proprie instrumentum justificationis dici non posse, nec credere esse actum instrumentalem, nedum, quatenus instrumentum opponitur fidei qua opus est. Probare id nititur ex natura fidei, notitia assensu & fiducia, qui actus nihil in se habeant instrumentale. Responderat *Auctor Exam. Apol.* ostendendo, quomodo fides in promissionibus comprehensa bonæ applicando sibi, instrumenti vicem subeat. Homini, sanc juxta Theologos, tribuitur fides ut causa instrumentalis seu instrumentum in apprehendenda justitia a DEO oblata, quoties homo credens subjectum justificationis proximum constituitur & opera in justificatione a fide excluduntur ut ipsa sola instrumentum declaratur Rom. IV, 3. III, 26. 28. nam per id ipsum quod opera excluduntur, & soli fidei tanquam medio.

(*) in apol. Confess. Rom. p. 65.

in medio unico ex nostra parte remissio peccatorum adscribitur, non alium respectum fidei admittit, quam qui operibus contradistinguitur, quem Theologi hic *instrumenti receptivi* nomine nuncupant, quippe quæ veluti manus sit apprehendens illud bonum, quod DEUS in justificatione donat. Hinc *fide justificari* dicitur homo Rom. III, 28. it. *fide purificari* corda gentilium Act. V, 9. Intelligunt autem Theologi per instrumenti vocem non *physicum* aliquod *nature* aut *artis*, sed *spirituale receptivum*, ex parte hominis adeoque, non quo agitur causaliter ad effectum Justificationis velut a causa principali, sed quo recipitur beneficium, ut e manu divitis Eleemosyna, offertur enim & confertur nobis justitia per ministerium verbi; hinc Ecclesiæ Doctores dicuntur *justificantes* Dan. XII, 3.

§. XLIV.

Excipit quidem *Episcopus*: justificationem esse actum in mente DEI decretum & volitionem DEI cujus causa non potest esse fides qui sit actus hominis, sed Resp. i.) justificatio dupliciter spectari potest; (1.) ut est actus DEI internus in mente & voluntate divina, *æstimatorius* & *decretorius*, deinde ut est *absolutorius* & in peccatorem credentem tendens ceu actus *forensis judicarius*. Nam utroque modo describit Scriptura actum justificationis tum ut *æstimativum*, quando DEUS dicitur imputare fidem in justitiam vid. Rom. IV, 4. 5. 6. 7. 8. tum ut *forensis judicarium absolutorium*, quoties DEUS seu Judex reum coram tribunali suo divino absolvit & peccata remittit, Christique justitiam imputat per verbum suum tum absque Ministro sive publico seu privato interveniente, tum per Ministerium externum, vid. Cap. I. II. III. IIX. Rom. quibus homo ceu reus & obnoxius morti æternæ a DEO ceu Judice ex gratia quidem sed non sine fundamento justitiæ per Christum imputatæ justificare dicitur. Est autem inter hæc duo actum nempe internum æstimatorium DEI & externum absolutorium manifestum discrimen, quod patet exemplo judicis terreni, qui certe officio suo judicario non fungitur rite, cogitando tantum apud se, æstimando & decer-

trando, sed præcipue vel absolvendo vel condemnando, quod fit
intimatione vel significatione sententiæ judicariæ. Hoc fecit &
adhuc facit DEUS in verbo suo, quoties ibi vel rei æternæ mortis
pronunciantur peccatores & damnantur, vel credentibus pecca-
ta remittuntur, sive in genere, seu in applicatione ad certum sub-
jectum; ubi si credens ad se applicet sententiæ absolutoriæ,
at consolationem percipiat, ipse Spiritus S. operosus est & per
verbum scripturæ absolutoriæ in corde credentis profert & ob-
signat, conf. Joh. III, 18. 33. 34. 36. ad Rom. IIX, 16. & alibi. Idem
fit, quoties in Ministerio constitutus absolvit penitentem pecca-
torem vel etiam privatus. Sic igitur accepta justificatio non est
tantum actus in DEO sed se communicat homini penitenti in
quo tum effectus fidei justificatio, procedit Resp. 2.) non
quidem dici potest justificatio in se effectus fidei, sicut donatio
Elemosynæ non potest dici proprie effectus extensionis manus,
utpote quæ tantum instrumentum quoddam est, quo recipitur
beneficium; adeoque causa instrumentalis receptionis illius: ita &
h. l. fides se habet juxta Theologos, & quidem (1.) ex parte DEI
est instrumentum dandi, ex parte autem hominis recipiendi justifi-
cationem, conf. Act. XV, 9. Rom. III, 28. non itaque fides est
causa justificationis in se, uti formaliter est actus DEI ad intra in
DEO productus sed uti procedit ad extra in dando & accipien-
do, quando nempe DEUS justificat hominem per verbum Evan-
gelii dando & conferendo ipsi justitiam Evangelicam, quod om-
nino non fit immediate, sed mediante fide, quam in homine per
conversionem operatur, & sic per fidem in Christum, quatenus
nempe & quia in merito Christi acquiescit, justitiam coram DEO
valentem ei largitur, ubi certe fides est suo modo instrumentum,
sicut ex parte DEI dandi, ita ex parte hominis recipiendi. Alii
Theologi alium respectum causæ nempe impulsivæ minus principa-
lis hic meditantur, quia fides in Christum DEUM suo modo mo-
veat ac impellat ad justificandum quod tamen non faciat propria
virtute dignitate & valore, sed dependente unice ex merito Christi
vid. Musæi Erklärung. (1.)

§. XLV.

(5) loc. 13. de justific. quest. 72. et, loc. de pradest. quest. 49.

§. XLV.

Ex his vero hactenus tractatis patet quæ nam h. l. iustitia *quid Aposto-*
 sit, quæ dicitur revelari per Evangelium ex fide in fidem, nempe *lus per iusti-*
 non *Essentialis* DEI iustitia qua iusti sumus per intimam eum DEO *tiam in h. l.*
 unionem; neque etiam inhærens quædam sanctitas quæ imperfe- *intelligat.*
 cta est in hac vita, & fundamentum justificationis haud constituere
 potest; verum ex toto contextu hujus loci, imo ex universa
 hac Epistola clare constat, non aliam quam iustitiam illam impu-
 tatam, uti vocatur Rom. IV. intelligi, nam talem *iustitiam DEI* in-
 telligit quæ a) est *ex fide* & patet *ex fide* uti h. l. dicitur, & Rom.
 IX, 30. b) iustitia quam gentes adepti sunt *ex fide* Rom. X, 6.
 c) iustitia quæ est *per fidem* Rom. III, 22. d) iustitia absque lege
 manifestata Rom. III, 21. e) iustitia imputata absque operibus
 f) iustitia quæ est per fidem in sanguine Christi Rom. III, 25. g)
 iustitia quæ imputatur Rom. IV, 5. h) iustitia quæ est per fidem
 Christi & in fide, propriæ iustitiæ opposita *Philippens. III, 9.*

§. XLVI.

Hæc iustitia sudes est in oculis adversariorum, *Hammon-Hammoniti*
 dus existimat; iustitiam hanc designare tantum ita, quæ *explicatio*
 fuit nomine DEI ab omnibus hominibus postulat, sic enim scri- *Justitiæ h. l.*
 bit: t) cum (Apostolus) fidem Christi seu summam eorum quæ
 Christus nomine DEI ab hominibus postulat, opponat præceptis
 Mosaicis de ritibus, ratus est, hanc apte vocari posse iustitiam
 DEI, illustrat hæc tum ex eo quod iustitia non semper significet
 virtutem ex loc. *Matth. III, 15.* & *Phil. III, 9.* ubi iustitia ita acci-
 piatur; tum ex stylo Judæorum, apud quos duo erant genera
profelytorum, alterum eorum, qui septem tantum Noachidarum
 præcepta admittebant; alterum eorum, qui totius legis obser-
 vationem suscipiebant, circumcidebantur &c. & hos dictos esse
profelytos Justitiæ, ubi iustitia significet omnia quæ in fœdere Mo-
 saico a Judæis requirebantur, ita h. l. iustitiam significare omnia
 Christi

Refutatur.

Christi præcepta, quorum observatione homo justificationem obtineat. Resp. 1.) illa Justitia pro præceptis Christi sumpta non potest hic habere locum, nam dicitur justitia ex Evangelio patet fieri, at præcepta legalia in lege proponuntur, deinde non est illa justitia Hammondiana *ἐν νόμῳ* sed tendit deam ad fidem & obsequium. Præterea non potest dici justitia quam gentes adipiscuntur ex fide, neque imputata justitiæ nomen sustinet. 2. Resp. plane aliena sunt illustramenta Auctoris quæ hic subjicit, nam in primo loco *Matthæi* sermo est de justitia implenda, hic vero de ea quæ imputatur; illa potissimum legalis est hæc Evangelica; ibi sermo est de officio Johannis & Messie unde de impletione dicitur, hic non de officio sed beneficio Justitiæ conferenda. Ab eo itaque loco ubi aliud argumentum, alius scopus, alius contextus, ad præsentis loci sensum non licet argumentari, alter locus ad Philip. III. 9. itidem non quadrat, nam ibi Justitia non accipitur pro rebus seu præceptis quæ lege exiguntur sed ut patet ex oppositione Justitiæ ex fide, de Justitia legali seu ex lege quæ sita. Neque vero legitur ibi, uti Hammondus vult per memoria lapsus: *διανοουμένη ἐν νόμῳ* sed *ἐκ νόμου*. Quod vero illam de profelytis Justitiæ tractationem attinet qui dicti fuerint: *Gene Zidkiah profelytoi Justitiæ*, huc trahi non potest; nam & institutum istud profelytorum initiationis per *circumcisionem, ablationem, & sacrificium*; & illorum, qui ita sunt initiati, ut recipereatur in fœdus, denominatio recentior est quam ut antiquos Spiritus S. fontes & sensum illustrare queat. conf. tamen Soldenus de J.N. & G.L.d.H. (u)

S. XLVII.

*Limborebii
sententia de
justitia b. 1.*

Rectius *Limborebii* de imputata justitia nostrum locum explicat idque probat argumentis non contemnendis, sed fundamentum imputationis juxta cum aliis Theologis suarum partium non rite ponit, nam 1.) uti supra jam monitum est, in fide quæ imputatur in justificatione includit opera, atque obsequium præceptis divinis præstandum. 2.) dicit quidem, non Justificari hominem

(u) lib. II. cap. 2. seqq.

minem per opera, sed addit; p. 237. Col. 2. *Opera stricte accep-*
ta, ut nempe retineat opera quæ obedientia Evangelica conti-
 nentur, conf. pag. 280. & 283. sic enim ad versum. 18. cap. III. ad
 verba: *hominem justificari fide*, commentatur: fide scil. viva, &
 quæ totam obedientiam Evangelicam complectitur, ut aliquoties
 dictum, & cap. IV. ad verba: *imputatur fides in justitiam*, talis
 inquit fides producit resipiscentiam & novam obedientiam, quam
 DEUS licet imperfectam, quoniam ex tali fide præstita est adeo
 gratam habet, ut eam imputet in justitiam, i. e. gratiose acce-
 pter tanquam plenam & omni modo perfectam &c. ad eundem
 fere modum *Clericus* Collega ipsius qui fuit in annot. pag. 21. scri-
 bit: DEUS neminem ab omni peccato Justificat cum omnes
 sint peccatores, pro Justis tamen, h. e. probis viris ac sibi acceptis
 habet eos qui Christo credunt, quamvis eorum justitia non sit sine
 peccato, subjicit Exemplum Abrahami qui vir Justus habitus
 sit non ex rigore Justitiæ, sed ex benigna *acceptilatione* DEL. Ad
 quæ vero notamus 1.) quod opera ad justificationem non perti-
 neant, uti supra ostensum, nec eorum imputatio in justitiam fit
 per justificationem. 2.) fidem quæ imputatur in Justitiam, ait
Limborch: producere resipiscentiam & novam obedientiam, a-
 deoque resipiscentiam post fidem in Christum ponit & ex fide illa
 deducit, quam debuerat præponere, quid enim, num vera fides est
 & fiducialis in Christum, quam non antecessit resipiscentia. 3.)
 ait: quoniam fides talis sit, quæ producat resipiscentiam & obe-
 dientiam, DEUM adeo gratam illam habere, ut eam imputet in
 justitiam: sic Ergo fundamentum imputationis in Justitiam redit
 in resipiscentiam & obedientiam, cum tamen juxta scripturam
 fides dicatur imputari in Justitiam & quidem *fides in sanguine Chri-*
sti. At inquit 4.) tam gratam habet DEUS obedientiam ex fide
 præstitam, ut eam imputet in Justitiam i. e. gratiose accepter tan-
 quam plenam & omni modo perfectam. Resp. Atqui vero Jus-
 titiæ & veritati divinæ simpliciter repugnat, DEUM id quod im-
 perfectum est moraliter tanquam plene perfectum æstimare, &
 in Justitiam imputare plenius certius & solidius fundamentum
 requiritur imputationis, quam fides prout resipiscentiam & obe-
 dientiam

dientiam producit: opera hæc sunt & imperfecta, quæ, si DEUS ex gratia tanquam perfecta respicit, & absque respectu perfecta obedientiæ & Justitiæ Christi, ac fidei in illum, propter quam ipsa obediencia placeat; actum est de veritate & justitia DEI, nec eum his attributis gratia & misericordia conciliari poterit, imo nec opus erit obedientia & perfecta præstatione Christi, quæ sicut Socinianissimi sapiunt, ita omnis veræ religionis nervum supprimunt.

§. XLIX.

Clerici explicatio,

Cui
Resp. 1.)

Dicas; accipienda esse hæc, supposito sacrificio Christi expiatorio, ut Clericus rem explicat, dicens: eos qui Christo credunt quamvis eorum Justitia non sit, sine peccato, DEUM tamen imperfectam virtutem pro perfecta acceptam ferre ex misericordia propter Christi sacrificium, Resp. 1.) sacrificium Christi satisfactorium & meritorium non ultra effectum suum, quem DEUS ipse in verbo suo ei adscribit, extendendum est; at opera imperfecta pro perfectis accipere seu per modum *acceptilationis* minorem debito solutionem pro plena & perfecta coram Judicio DEI valere non est effectus sacrificii Christi juxta Scripturam; nam per hoc exhibitum est summum pretium sanguinis nempe immaculati & incontaminati agni Christi 1. Petr. 1, 19. quomodo exquisitissima solutio facta est, ut acceptilatio locum non habere possit, utpote quæ ficta quædam est solutio, qualis non nisi per blasphemiam Christo tribui potest. Jam cum hæc ipsa Christi solutio Judiciaria imputetur homini debitori, tanquam ipse perfecte legem servavit & servet, quod fit in Justificatione per fidem, (quomodo *δικαιοσυνη νόμου* impletum esse dicitur in credentibus Rom. IIX, 4.) non certe ab homine credente imperfectum pro perfecto, solutio ficta pro vera DEO datur, quam accipiat per modum acceptilationis, sed offertur ipsi per fidem pretiosissimus & inestimabilis filii DEI sanguis in quo adeo perfectissima fundatur solutio et si fides ut actus est, aliquando infirma & nunquam perfecta sit, hanc fidem sanguine Christi meritorio ut ita loquar, animatam imputat DEUS pro Justitia, intuitu nempe apprehensi meriti & perfectæ

perfecta obedientiæ Christi, quæ demum solidum fundamentum est imputationis illius, cuius respectu Christus nobis dicitur factus Justitia 1. Cor. 1, 30. ita, ut sicut ipsi innocentissimo peccata nostra sunt imputata & *quæritur* pro nobis factus dicitur; ita nobis ex adverso Justitia ejus & obedientia in vita passione & morte ita imputetur ut simus justitia in ipso II. Cor. V, 21. non itaque nostra fides in Justificatione consideranda est ut obedientia quædam per se, quæ per & propter sacrificium Christi reputetur plena & perfecta, cum non sit, sed respici debeat uti veluti animata est apprehensione perfectissimæ obedientiæ Christi quæ jam non ut imperfecta, vel perfecta magis aut minus, imputatur ad effectum Justitiæ coram DEO valentis sed uti Christi obedientiam sibi appropriat, quo respectu etiam opera ex fide manantia DEO placent.

§. XLIX.

Sed videamus horum Virorum utut Doctissimorum errores clarius in Exemplo Abrahami Patris credentium ex Gen. XV, 6, ubi dicitur: *credidit Abraham DEO, & imputatur est ipsi in Justitiam.* Quæ verba Apostolus Paulus allegat ad declarandam Justificationem in universum omnium credentium. Attendamus, quodnam Remonstrantes hic reperiant fundamentum imputationis, Resp. h. J. Limborch: *DEUS promisit Abrahamo jam seni semen, ejusque tantam multiplicationem, ut numerum Stellarum cæli & arenarum maris sequaturum sit, hoc promissum licet arduum creditu esset, tamen Abraham respiciens omnipotentiam & fidelitatem promittentis credidit DEO, & hæc fides imputata est illi in Justitiam.* Ecce! fides propter quam tamen Abraham pater omnium credentium dicitur & ad cujus fidei Exemplum Paulus omnium credentium fidem interpretatur in Epist. ad Rom & Gal. explicatur a Limborchio de fide aliqua generali tantum cuius objectum sit DEI omnipotentia & fidelitas promittentis, hinc z. idem Auctor, hanc Abrahami fidem tanquam eximium obedientiæ actum imputatum esse ipsi in justitiam, ait. Ecce ponit fundamentum imputationis in Justitia in actus fidei Abrahamiticæ Excellentia non vero ipsius objecto Christo cum merito suo.

3) in sensu mystico ac quem nempe Paulus respexerit ad Gal. III, 16. seqq. obscure ac secundum ultimam DEI intentionem comprehendendi promissionem de Christo & de gentibus per fidem in ipsam in semen spirituale Abrahæ assumendis. En ! ne quidem secundum ultimam intentionem DEI in isto loco fundamentum aliud imputationis fidei in Justitiam ponit quam promissionem generalem duntaxat de Christo & conversione gentium ad Christum; nihil de ejus sacrificio meritorio ceu formali fidei objecto.

4.) inquit *Limborch* Abrahamum non credidisse sensum illum de Christo mysticum distincte & explicite, sed NB. involutiore tali. tamen quæ ulterius quid quam quod litera scripta sonat, respexit. Sed quæso quid est illud quod respexit? Respondet: Christus. Enimvero quid in Christo ergo respexit, hoc nec vult nec potest explicare, & tamen ait; ideo videtur gratior fuisse fides illa DEO, quia involutiore modo respexit Christum, & hinc imputatio facta est in Justitiam. Heu quam perplexa & quam difficulter se explicat; cum semel a Justo fundamento imputationis in Justitiam recesserit. Quanto tutius itaque juxta Regulam Scripturæ S. incedimus retinendo fundamentum imputationis in Justitiam in articulo fundamentalis justificationis; veram nempe & perfectam Christi obedientiam seu Justitiam fide appropriandam, uti Paulus in duabus Epist. Rom. & Gal. docuit; hic unicus lapis angularis est doctrinæ de œconomia Evangelica N. T. hac nostræ justificationis & imputatio fidei nostræ in Justitiam firma demum & solida est, & adversus satanæ tela triumphat; per hanc & fides & opera nostra magis magisque DEO grata sunt, non ut excellentia sunt & laudabilia sed maxime uti sanguine Christi tin-

sta, pro nobis omnibus effusa.

S. D. G.

00 A 6321

ULB Halle 3
002 925 397




St.

Hi. 82

1012





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

DISPUTATIO THEOLOGICA
QVA INSTITUITUR
COLLATIO
DE
OECONOMIA
EVANGELICA N. T.

CVM
HENRICO HAMMONDO
ANGLO
ET

JOHANNE CLERICO
BATAVO,
ALISQVE PRÆCIPUIS, PARTIS
REMONSTRANTIVM, SEV ARMINIA-
NORVM VIRIS,
AD ROM. I. vers. 17.

QVAM
TVEBITVR!
Sub PRÆSIDIO
MICHAELIS FOERTSCHII,
THEOL. D. ET P. P. PRIMARIJ, AC FACULTATIS
SENIORIS

D. MAII M D CC XVIII.
M. IOSEPHVS CAMERARIVS,
MINISTERII CANDIDATVS, REUTLINGENSIS.

JENÆ,
LITTERIS MULLERIANIS.